



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XXVIII. Ordo Alexianorum seu Cellitaru[m], in Germania inferiore,
itemque Nigrarum sororum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

CAPVT XXVIII.

*Ordo Alexianorum, seu Cellitarum, in
Germania inferiore; itemque Ni-
grarum Sororum.*

Alexius Romanus nobilissimus, Euphemiani Senatoris filius, propter eximium Iesu Christi amorem, prima nocte nuptiarum, sponsam intactam Rufinam nomine, S. Paulæ filiam, relinquens, illustrium orbis terræ Ecclesiarum peregrinationem suscepit. Qui cum 17. annos in itineribus ignotus fuisset, aliquando apud Edessam Syriæ urbem, ubi in Xenodochio seruiert, per sanctissimæ Mariæ Virginis imaginem eius nomine divulgato, inde naui discessit, ut Tarfi, in templo Diui Pauli Apostoli, opera pietatis proficeretur. Sed naus, diuino nutu, ad portum Romanum appulsa est: ipseque, à patre Euphemiano tamquam alienus pauper, & peregrinus hospitio excipitur: apud quem 17. annos omnibus ignotus vixit, multa à seruis passus, à quibus loco deliciarum iniurijs, contumelijs, & verberibus sæpè affectus est. Cùm autem Honorius Imperator in domo Euphemiani, virum sanctum, cuius precibus assiduis Deus vrbi propitius erat, delitescere accepisset, eius videndi cupidus, ab Euphe-

miano illū sibi exhiberi imperat: sed *Alexi* futurorū præscijs, vitæ suę cursu litteris diligentissimè consignato, dum domus excipiendō Imperatori paratur, omnibus inscijs, migrat è vita xvi. Kalend. Iulij Innocentio primo Pontifice Maximo. Cū itaque Imp. Honorius, Theodosij filius, ad domum Euphemiani venisset, Alexium defunctum, chartam manu dextra ita tenentem, vt nulla vi euelli posset, inuenit. Aderat Pontifex, cui Alexius chartam, cū illam Imperator genuflexus petijisset, concessit. Interim parentes & sponsa, ad sacrum corporis amplexum accurrentes, illud lachrymis quasi imbri decurrentibus rigant. Dum autem funus extolleretur, tantus populi concursus fuit, vt Imperator ad illum diuertendum pecunias proijci mandaret. Verū tanta inerat omnibus videndi sancti viri cupido, vt pecunias negligenter. Multa namque signa fiebant, Dæmoniis, leprosis, alijsq̃ue morbis insanabilibus affectis, diuinitus curatis. Oportuit autem sacrum cadauer per octo dies in templo S. Petri insepultum feruari: tantus erat vtriusque sexus, maximè languentium, ad illud confluxus. Denique in arca marmore & smaragdo ornata in æde S. Bonifacij conditum est: illi que Ecclesia postea excitata. Ita Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae.

S. Alexium, vt patronum colunt Cellitæ, qui Bruxellis, Antuerpiæ, Louanij, Mechliniæ,

niæ, Coloniae, & alibi apud Belgas ac Germanos tumulandis mortuorum cadaueribus piam operam impendunt, nullis sacris ordinibus initiati.

Præter Cellitas sunt in dictis Belgicæ oppidis & alibi, *Nigrarum Sororum*, seu monialium insuper cœnobita: quæ cum domi, tum foris agris sedulo inseruiunt. Nomen habent à vestibus atrii coloris, quas gestant, & sub regula S. Augustini viuentes subsunt visitationi Ordinariorum.

CAPVT XXIX.

De varijs monasterijs cum virorum, tum mulierum, quæ in Xenodochijs & alibi seruiunt agris, testimonium Iac. Vi-triaci.

SVnt insuper aliæ tam virorum quàm mulierum sæculo renunciantium & regulariter in domibus leproforum, vel hospitalibus pauperum viuentium absque æstimatione & numero certo in omnibus Occidentis regionibus congregationes, pauperibus & infirmis humiliter, & deuotè ministrantes. Viuunt autem secundum S. Augustini regulam, absque proprio, & in cõmuni, sub vnus Maioris obedientia; & habitu regulari suscepto, perpetuam Domino promittunt continentiam. Scorsum autem viri & seorsum femine cum omni reuerentia & castitate